

1326-1326- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Parisius Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Parisius celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXVI° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vel magister ordinis, addatur: vel capitulum generale.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non opportet, addatur sic: quod si magister ordinis vel capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta vocem habere.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem eorum in via mori, addatur: vel in ipso capitulo contigerit.

Item hanc, quod in festo beati Michaelis fiat festum totum duplex.

Item hanc: In capitulo de ieuniis, ubi dicitur: ac nativitatis beate virginis, addatur: et annunciaconis dominice, quando eam tempore pascali evenire contigerit.

Item hanc: In rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur: nisi in invencione ipsius et in festis totis duplicibus, addatur: et duplicibus; quod eciam interim observetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quos instituendos nullus vicarius eciam cum diffinitoribus, addatur: nec diffinitores sine consensu provincialis. Volumus autem hoc medio tempore observari inviolabiliter. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: si quis autem peccaverit et confiteri suo socio voluerit, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro dicto tempore dictum duodenarium numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis quo ad priorem et socium et electores provincialis nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitana et Grecie dumtaxat exceptis. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc, quod provincia Ierosolymitana post provinciam Saxonie et provincia Grecie post provinciam superioris Lombardie teneat locum suum. Et hunc ordinem in constitutionibus quibuscumque, ubi provincie numerantur, volumus annotari.

Item hanc: In rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis evenerit, addatur: item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis etc., post illud: nos matrici ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis beati Dominici aut cuiuscumque alterius sancti, ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quocumque festum huiusmodi in precedentem quartam feriam transferatur, et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa, post illud: in die pentecostes et cotidie per octavas ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item. In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini usque ad purificacionem etc., post illud: et in festo purificacionis, addatur: et in festo de corpore Christi. Et hec omnia de rubricis habent · ii · capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marci totum duplex, et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur; et illud officium uniformiter per totum ordinem habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui committimus de predicto officio providendum. Et hoc tam de festo quam de officio suis locis in ordinario et kalendario annotetur. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum in ludo taxillorum et alearum nomen Christi et beate virginis matris sue profanis christianorum labiis pro dolor iugiter blasphemetur, de voluntate ac mandato sanctissimi patris et domini nostri Iohannis divina providencia summi pontificis, ordinamus et omnibus fratribus verbum dei tam clero quam populo nunciantibus districte mandamus, quod in suis predicationibus per sanctas exhortaciones et fervidas a ludo taxillorum et alearum predicto, eos, quibus predicabunt, conentur retrahere ipsisque graves dei offensas exprimere, que ludum huiusmodi committantur, ac nichilominus illis exponere, qualiter secundum iura ea, que in tali ludo lucrantur, restituere tenentur; et qualiter qui de sic lucrato, quod iura diffiniunt, non adimplent, periculo sue anime se exponunt.

Item. Cum in quibusdam provinciis de fratribus notabilis sit defectus, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales de recipiendis noviciis bonis et utilibus sollicitam curam gerant et in qualibet visitacione certi conventus de melioribus per provinciale capitulum assignentur, ad quos omnes novicii recepti de

illa visitacione sub diligenti custodia nutriendi mittantur. Noviter autem profesi, ne nimia libertate vagentur, sub cura fratris religiosi per biennium saltem nutrientur, donec sufficienes sint in sciencia et in vita, ut ad studia transmittantur.

Item. Districte inhibemus, ne quando aliquem prelatum vel eius vicarium nostri ordinis contigerit accusari quacunque de causa vel deferri, pendente superioris iudicio, frater aliquis prelato huiusmodi vel vicario eius subiectus ab ipsis correctione discedat vel ipsum quacumque occasione quesita a sua communione suspendat. Lex enim ecclesiastica statuit, prelatum ab aliis accusatum, priusquam sub lite obiecta constiterint, non relinqui.

Item. Cum ex fratribus infamacionibus deus graviter offendatur et ordini turbacionis et scandali multiplex materia ministretur, volumus ac districte imponimus, quod quicunque crimen aliquod fratri alicui imposuerit vel aliis quibuscumque revelaverit, nisi forte suis superioribus deferendo, per priorem vel eius vicarium, postquam legitime constiterit, pena criminoso debita puniatur.

Item. Ordinaciones de studentibus gradatim ad studia mittendis factas in preterito capitulo Veneciis celebrato¹ et illam de studentibus a studiis generalibus redeuntibus usque ad biennium non promovendis ad officia prioratus, factam in capitulo generali Florencie celebrato², et ordinacionem de non eundo ad magistrum ordinis sine licencia prioris provincialis vel ad priorem provincialem sine licencia sui prioris conventionalis, cum penis adjunctis factam in capitulo generali Florencie celebrato³, innovamus. Volumus autem, ut fratres redeentes de studiis generalibus, qui contra ordinacionem predictam fuerint in priores confirmati, infra mensem per priores provinciales vel eorum vicarios a prioratus officio absolvantur, et si sint apti, ad lectoratus officium reponantur.

Item. Districte inhibemus, ne camere passim fratibus concedantur, nisi forte fratibus insignibus, quibus convenienter negari non possint. In ipsis autem cameris nullus frater comedat, nisi forte actu esset decumbens. Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obedientie de diffinitorum consilio et assensu fratibus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sit privatus.

Concedit tamen magister prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur, et addatur post oracionem beati Petri oracio beati Thome: Deus, qui ecclesiam tuam, cum versu: Declaracio sermonum tuorum illuminat. Responsorium: Et intellectum dat parvulis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Theutonie.

Item. Piores conventionales Gracianopolitanum, Montis Miliani, Sanctonensem, Altisiodorensem, Compendiensem et Pictaviensem. Et volumus, quod piores absoluti, non possint in eisdem conventibus vel provinciis resumi ad eadem officia isto anno.

Ista sunt suffragia.

Denunciamus fratibus universis, quod frater Petrus de Felaca, diffinitor Lombardie superioris, mortuus est in via, unde fratres ei ad suffragia tenentur⁴.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno, fratrem Guillelmum de Castro Reginaldi de provincia Francie².

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, fratrem Bernardum Lombardi priorem provincialem provincie Provincie³.

Assignamus lectorem conventui Bononiensi fratrem Benedictum de Cumis, magistrum in theologia⁵. Commitimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout communi utilitati iudicaverit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Perpiniani in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat, veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante · iiiiam · feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXVII.

¹ Cf. supra pag. 157 l. 34 sqq. 2 Cf. supra pag. 133 l. 32 sqq. 3 Cf. supra pag. 135 l. 3 sqq.

² De fr. Guillelmum cf. supra pag. 161 l. 30.

³ De fr. Bernardo Lombardi cf. supra pag. 150 l. 12.

⁴ De fr. Petro Felaca cf. SSOP I pag. 559.

⁵ De fr. Benedicto de Cumis cf. supra pag. 118 l. 16.